



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

VIII. Quaeritur utri prius Constantinopolim profecti sint Origenistae, an
Theophili legati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

A viit; reclamaret & Paulus ille Episcopus, quem post flagella, carcerem, & metalla, à Theophilo, non propter Origenisim, sed alias ob causas ex Ægypto eliminatum Hieronymus transeuntem hospitio suscepit, & ut per Imperiale scriptum restitueretur, laboravit. Privatius proinde causis ad carpandos Origenistas adductum fuisse veri mihi videtur perquam simillimum, & vindicta suae Origenisim subdole prætenuisse; Epiphanium vero & Hieronymum, rem ipsam Ecclesiae perutilem, Origenismi scilicet extirpationem spectasse, causas ipsas insuper habuisse. Quaecunque certe res Theophilum impulerit, constat legitime Synodi decretis Origenistarum errores fuisse rescissos; ac non tantum fortasse Theophili, quantum Synodi auctoritati Hieronymum & Epiphanium tribuisse.

VII. Porro non Synodicam duntaxat Theophili Epistolam, datam anno Christi 399, sed Paschales etiam quatuor, annis 400, 401, 402, 403, 404, scriptas, Hieronymus Latinitate donavit, ut quæ iis continebatur Origenis damnatio, latius, & in Occidente potissimum pervulgaretur. Pervenerunt ad hanc ætatem posteriores tres, prior cum Synodica intercidit; in quibus depravata aliqua ab Hieronymo cum ipsius adversarii jactassent, sese in Epistola 78, ad Pammachium & Marcellam, cum ad eos posteriores Paschales mitteret, luculenter purgavit.

VIII. Iam vero rerum seriem perfequamur. Diximus Constantinopolim profectos esse Origenistas, postquam eodem legatos à Theophilo missos acceperunt. Falso id à Palladio, & Sozomeno confictum arguit Baronius ad A. 400. cap. 61. nec quemquam illuc ante legasse Theophilum contendit, quam eodem abiisse Origenistas intellexit. Falsum quoque esse vult, inter Origenistas fuisse Isidorum; id licet præter Sozomenum Socrates asseveret. Nititur Baronius Theophili ad Epiphanium Epistola, quæ est inter Hieronymianis 67. Sic habet illa: *Didici enim quod calumniatores veræ fidei, Ammonius, Eusebius, & Euthymius, novo pro hæresi furore bacchantes, Constantinopolim navigarint: ut & novos, si quos voluerint, decipiant, & veteribus suæ impietatis sociis conjungantur.* Nulla hic Isidori mentio: certe neque Dioscori, nec aliorum quinquaginta, quos illuc perrexisse tradit Palladius. Quasi vero nomina singulorum percensere Theophilus instituerit. Ait deinde Theophilus: *Et ut celerius nostra Constantinopolim scripta perveniant, mitte industriam virum, & aliquem de clericis, sicut & nos de ipsi Nitriae monasterio patres Monachorum, cum alijs sanctis & continentissimis viris missimus, qui possint cunctos in presentia docere quæ gesta sunt.* Ex his effici putat Baronius ab Epiphano, non D autem à Theophilo tunc legatum fuisse missum Constantinopolim; Theophilum autem quosdam à Monachis Nitriensibus alio ablegasse. Sane id ex Epistolæ verbis non cogitur: imo vero rogat Epiphanium Theophilus, ut aliquem mittat Constantinopolim, sicut à se Nitrienses monachi missi sunt: quo missi? nempe quo aliquem mitti vult ab Epiphano; Constantinopolim: nam quid aliud verba sonant? Quod autem peregrina communionem eos exceperit Chrysofostomus, inde concludit Baronius Synodi Alexandrinæ literas illuc nondum fuisse perlatas; alioqui damnatos & proscriptos Monachos minime fuisse excepturum. Ut id detur, quod negari tamen potest, nam damnationis causam certum est licere inquiri, non inde sequitur Constantinopolitanum iter prius suscepisse Nitrienses Origenistas, quam legatos suos eodem Theophilus misisset. Probabile quippe est Theophili legatos provincias multas adiisse, disseminandarum Præfulis illius Synodicarum literarum gratia, proindeque serius Constantinopolim eandem importasse; cum interea discessione illorum audita, nullam interponentes moram, magnis itineribus illuc contendissent Origenista; & qui serius susceperant iter, maturius illud confecerunt.

IX. Constantinopolim delati Origenista supplices accidunt ad genua Iohannis, postulantque ut opera ipsius & auctoritate, Theophili adversum se iracundia sedetur, & Ægyptum redeundi sibi copia fiat: quod & reverentia aut metu Theophili, ab ipso quoque, quemadmodum & ab alijs Episcopis repellantur, Imperatoris opem se denique imploratos. Compositus ad miserationem commovendam virorum habitus Chrysofostomo lacrymas excussit. Benigne itaque ipsos alloquitur, jubet causam adventus sui sileant, de ipsorum restitutione sese cum Theophilo per literas acturum, in Templo interim, cui nomen Anastasis, sedem ac mansionem figant. Paruerunt illi, & vitæ necessaria partim proprijs ipsi manibus, ut mos erat Monachorum, partim religiosarum mulierum liberalitate compararunt, ac Olympiadis potissimum, quæ post obitum Nebridij conjugis creata Ecclesie Constantinopolitane Diaconissa, peregrinos hospitio excipere, & facultatibus suis fovere solebat. Publicarum his precationum communionem concessit Chrysofostomus, ad Sacramentorum usum non admisit, nondum cognita ipsorum causa; cum præsertim Clericos quosdam à Theophilo iam ante alijs de rebus Constantinopolim missos acceperisset Iohannes, ijque super rebus Monachorum interrogati magnam illos injuriam sustinuisse quidem dixissent, sed ad communionem tamen neutiquam eos admitti postulasent, ne Theophilo res ea foret offensio. Scribit ad Theophilum Chrysofostomus, rogatque ut restitutos Ori-